Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia latina, Fragment - Cod. Karlsruhe 1373

[S.l.], [11./12. Jh.]

urn:nbn:de:bsz:31-33375

Visual Library

K 1373,1

inimicus et quasi adiuuans suffodiet
plantas tuas. Caput suum mouebit
et plaudet manu et multa susurrans
commutabit uultum suum.

Qui tetigerit picem inquinabitur
ab ea et qui communicauerit su
perbo induet superbiam. Pondus super se
tollit qui honestiori communicat et
ditiori te ne socius fueris. Quid com
municabit cacabus ad ollam. Quan
do enim se colliserint confringetur. Di
ues iniuste egit et fremebit pauper
autem lesus tacebit. Si largitus ei fue
ris assumet te et si non habueris de
relinquet te. Si habes conuiuet te
cum et euacuabit te et ipse non dole
bit super te. Si necessarius illi fueris
supplantabit te et subridens spem
dabit narrans tibi bona et dicet quod
opus est tibi et confundet te in cibis suis
donec te exinaniat bis et ter et in nouissimo
[illegible]
[illegible] relinquet te et caput suum mouebit ad
[illegible] humiliare deo et expecta manus eius.
[illegible] uide ne seductus [illegible] humi
[illegible]. Noli esse humilis in sapientia tua.
[illegible]
uocatus a potentiore discede et hoc
enim magis te aduocabit. Ne improbus
sis ne impingaris et ne longe sis ab eo
ne eas in obliuionem. Ne retineas ex equo
loqui cum illo et ne credas multis uer
bis illius. Ex multa enim loquela temp
tabit te et subridens interrogabit
te de absconditis tuis. Inmitis animus
illius conseruabit uerba tua et non par
cet et de malicia et de uinculis caue
tibi et attende diligenter auditui tuo quoniam
cum subuersione tua ambulas. Audi
[illegible] illa quasi in somnis uide et
euigilabis. Omni uita tua dilige deum
et inuoca eum in salute tua. Omne ani
mal diligit simile sibi sic et omnis
homo proximum sibi. Omnis caro ad similem sibi coniungitur et omnis homo si
mili sui sociabitur. Sic communicabit lupus
agno aliquando sic peccator iusto.
Que communicatio sancto homini ad ca
nem aut que pars bona diuiti ad
pauperem. Uenatio leonis onager in
heremo sic pascua sunt diuitum pau
peres. Et sicut abhominatio est superbo
humilitas sic execratio diuitis pau
per. Diues commotus confirmatur ab amicis suis
humilis autem cum ceciderit expelletur
et a notis. Diuiti decepto multi recu
peratores. Locutus est superbe et iustifi
cauerunt illum. Humilis deceptus est
insuper et arguitur locutus est sensate et
non est ei datus locus. Diues locutus
est et omnes tacuerunt et uerbum
illius usque ad nubes perducent. Pauper
locutus est et dicunt quis est hic
et si offenderit subuertent illum. Bo
na est substantia cui non est peccatum
[illegible]
[illegible]tas in ore impii. Cor hominis immu
tat faciem illius siue in bona siue in ma
la. Vestigium cordis boni et faciem bo
nam difficile inuenies et cum labore.

Non lapsus est uerbo ex ore suo et non est sti
mulatus in tristicia delicti. Felix qui
non habuit animi sui tristiciam et non
excidit a spe sua. Uiro cupido et te
naci sine ratione est substantia et
homini liuido ad quid aurum. Qui
aceruat ex animo suo iniuste ali
is congregat et in bonis illius alius luxu
riabitur. Qui sibi nequam est cui alii
bonus erit. Et non iocundabitur in bo
nis suis. Qui sibi inuidet nichil est
illo nequius et hec redditio malicie il
lius et si benefecerit ignoranter et non
uolens facit et in nouissimo mani
festabit maliciam suam. Nequam est oculus
liuidi et auertens faciem et despi
ciens animam suam. Insaciabilis ocu

ti sunt in illo multi et honorauerunt deum.
Bona et mala uita et mors et paupertas
et honestas a deo sunt. Datio dei per ma
net iustis et profectus illius successus ha
bebunt in eternum. Est qui locupleta
tur parce agendo et hec pars merce
dis illius in eo quod dicit inueni requi
em michi et nunc manducabo de bonis
meis solus et nescit quod tempus prete
reat et relinquet omnia aliis et mo
rietur. Sta in testamento tuo et in illo
colloquere et in opere mandatorum tu
orum ueterasce. Ne manseris in operibus
peccatorum. Fide autem in deo et mane in
loco tuo. Facile est enim in oculis dei
subito honestari pauperem. Benedic
tio dei in mercedem iusti festinat et
in hora ueloci processus illius fructifi
cat. Ne dicas. Quid est michi opus et
que erunt michi ex hoc bona. Ne dicas.
Sufficiens sum et quid ex hoc pessi
In die bonorum mabor.
ne immemor sis malorum et in die ma
lorum ne immemor sis bonorum quoniam fa
cile est coram deo in die obitus retribu
ere unicuique secundum uias suas. Malicia
hore obliuionem facit luxurie mag
ne et in fine hominis denudatio o
perum illius. Ante mortem ne laudes ho
minem quemquam quoniam in filiis suis ag
noscitur uir. Non omnem hominem in
ducas in domum tuam. Multe enim
insidie sunt dolosi. Sicut enim eruc
tant precordia fetentium et sicut perdix
inducitur in caueam et ut caprea in la
queum sic et cor superborum et sicut prospec
tor uidens casum proximi sui. Bona enim
in mala conuertens insidiatur et in e
lectis imponit maculam. A scintilla
enim una augetur ignis et ab uno do
loso augetur sanguis. Homo uero pecca
tor insidiatur sanguini. Attende tibi
a pestifero. Fabricat enim mala ne
forte inducat super te subsannatio

nem in perpetuum. Admitte ad te alienigenam
et subuertet te in turbine et abaliena
bit te a tuis propriis.
Si bene feceris scito cui benefeceris
et erit gratia in bonis tuis multa. Bene
fac iusto et inuenies retributionem magnam
et si ab ipso certe a domino. Non est ei bene
qui assiduus est malis et elemosinam
non danti quoniam et altissimus odio
habet peccatores et misertus est penitenti
bus. Da misericordi et ne suscipias pec
catorem et impiis et peccatoribus redde
uindictam custodiens eos in die uin
dicte. Da bono et non receperis peccatorem.
Benefac humili et non dederis impio. Prohibe
illi panes dari ne in ipsis potentior te
sit. Nam duplicia mala inuenies in om
nibus bonis quoniam et altissimus odio habet
peccatores et impiis reddet uindictam.
Non agnoscetur in bonis
amicus et non abscondetur in malis
inimicus. In bonis uiri inimici illius in
tristicia et malicia illius amicus agnitus est.
Non credas inimico tuo in eternum. Sic
enim eramentum erugniat nequitia illius
et si humiliatus uadat curuus. Affirma
animum tuum et custodi te ab illo. Non
statuas illum penes te nec sedeat ad dex
teram tuam nec conuersus stet in loco tuo.
ne forte conuersus in locum tuum inquirat
cathedram tuam et in nouissimo cogno
scas uerba mea et in sermonibus meis sti
mulearis. Quis miserebitur incantatori
a serpente percusso et omnibus qui appropi
ant bestiis et qui comitatur cum uiro ini
quo et obuolutus est in peccatis eius.
Una hora tecum permanebit si autem de
clinaueris non subportabit. In labiis
suis indulcat inimicus et in corde suo
insidiatur ut subuertat te in foueam.
In oculis suis lacrimatur inimicus et si in
uenerit tempus non saciabitur sanguine.
Si incurrerint tibi mala inuenies eum
illic priorem. In oculis suis lacrimatur

II 9143

chus ergo cepit iudicium adversum me-
nelaum agitari. Et cum convinceretur tri-
um ad ipsum negotium destinatorum vi-
ri tres a senioribus. et superaretur
Menelaus, misit Ptolomeo mul-
tas pecunias dare ad suadendum re-
gi. Ita Ptolomeus in quodam atrio
positum quasi refrigerandi gratia regem
adiit. et ad sententiam deduxit. et
Menelaum quidem universe malicie
reum criminibus absolvit. miseros
autem qui etiam si apud Scitas causam dix-
issent innocentes iudicarentur morte
dampnavit. Cito ergo iniustam pe-
nam dederunt qui pro civitate et pro
populo et sacris vasis causam prosecuti sunt.
Quam ob rem Tyrii quoque indignati erga
sepulturam eorum liberalissimi extite-
runt. Menelaus autem propter eorum qui
in potentia erant avariciam perma-
nebat in potestate crescens in ma-
licia et ad insidias civium.

Eodem tempore Antiochus secundam pro-
fectionem in Egyptum paravit.
Contigit autem per universam Ieroso-
limorum civitatem videri diebus qua-
draginta per aera equites discur-
rentes auratas stolas habentes
et hastis quasi cohortes armatas et
cursus equorum per ordines digestos.
et congressiones fieri cominus et scu-
torum motus et galeatorum multitu-
dinem gladiis districtis et telorum
iactus et aureorum armorum splendo-
rem omnisque generis loricarum. Qua-
propter omnes rogabant in bonum monstra
converti. Sed cum falsus rumor exisset
tamquam vita excessisset Antiochus.
assumptis Iason non minus mille vi-
ris repente aggressus est civita-
tem. et civibus ad murum convolanti-
bus. ad ultimum apprehensa civi-
tate Menelaus fugit in arcem.
Iason vero non parcebat in cede civibus

suis. nec cogitabat prosperitatem adversus
cognatos malum esse maximum arbitrans
hostium et non civium se tropea captu-
rum. et principatum quidem non optinuit.
finem vero insidiarum suarum confusionem ce-
pit. et profugus iterum abiit in Amma-
nitidem. ad ultimum in exitium sui con-
clusus. ab Areta Arabum tyranno. fu-
giens de civitate in civitatem omnibus
odiosus. ut refuga legum et execrabi-
lis. ut patrie et civium hostis in Egyp-
tum extrusus est. Et qui multos de patria
sua expulerat. peregre periit Lacede-
monas profectus. quasi pro cognatione
ibi refugium habiturus. et qui inse-
pultos proiecerat multos. ipse et il-
lamentatus et insepultus abiectus est.
sepultura neque peregrina usus neque pa-
trio sepulchro participans.

His ita gestis. suspicatus est rex so-
cietatem deserturos Iudeos.
et ob hoc profectus ex Egypto efferatus
animis civitatem quidem armis ce-
pit. iussit autem militibus interficere
nec parcere occursantibus. et per do-
mos ascendentes trucidare. fiebant
ergo cedes iuvenum ac seniorum. muli-
erum et natorum exterminia. virginumque
et parvulorum neces. Erant autem to-
to triduo octingenta milia interfec-
ti. quadraginta milia vincti. non mi-
nus autem venundati. Sed nec ista suf-
ficiunt. ausus est intrare templum
universe terre sanctius Menelao duc-
tore. qui legum et patrie fuit proditor. et
scelestis manibus sumens sancta vasa.
que ab aliis regibus et civitatibus
erant posita ad ornatum loci et glo-
riam contrectabat indigne et con-
taminabat. Ita alienatus mente Anti-
ochus non considerabat quod propter pec-
cata habitantium civitatem modicum
dominus fuerat iratus. propter quod et acci-
dit circa locum despectio. Alioquin

Grossh. Hof- u. Landes-Bibliothek

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

[illegible] cogisset eos in vitiis patriis et
involutos. Sic Heliodorus qui missus
est a Seleuco rege ad expoliandum
erarium. etiam ibi statim ad venien-
tis flagellatus et repulsus vix eva-
sit. Ab iudea vero non propter locum
gentem. sed propter gentem locum dominus
elegit. [illegible] ipse locus particeps
factus est populi malorum. postea fiet et
socius bonorum. et quod derelictus est in
ira omnipotentis. iterum magnifica-
bitur in domini reconciliatione cum summa
gloria exaltabitur.

Igitur antiochus mille octingentis ab-
latis de templo talentis velociter
antiochiam regressus est. existimans
se per superbiam terram ad navigandum.
pelagus vero aditurum. agendum de-
duci propter mentis elationem. Re-
liquid autem et prepositos ad affligen-
dam gentem. Iherosolimis quidem phi-
lippum genere frigem moribus crude-
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] eos [illegible]
cum duobus milibus. precipiens et omnes
perfecte etatis interficere. mulieres
ac iuvenes vendere. Qui cum ve-
nisset iherosolimam pacem simulans
quievit usque ad diem sanctum sabbati
et tunc feriatis iudeis arma capere
suis precepit. omnesque qui ad expecta-
culum processerunt trucidavit. et per
civitatem cum armis discurrens in-
gentem multitudinem peremit.

Iudas autem machabeus qui decimus fuerat
secesserat in desertum locum. ibique in-
ter feras vitam in montibus cum suis a-
gebat. et feni cibo vescentes mo-
rabantur. ne participes essent coinqui-
nationis.

Sed non post

multa tempus misit rex senem [illegible]
[illegible] antiocenum qui compelleret iude-
os ut se transferrent a patriis et dei
legibus. contaminare etiam quod in ihe-
rosolimis erat templum. et cogno-
minare iovis olimpii. et in gazari-
zim prout erant hi qui locum inha-
bitabant iovis hospitalis. Pessi-
ma autem et universis gravis malorum
erat ingressio. Nam templum lux-
uria et comessationibus erat ple-
num et scortantium cum meretricibus
sacratisque edibus mulieres se ultro
ingerebant. inferentes ea que non
licebant. Ara etiam plena erat
illicitis que legibus prohibebantur.
Neque enim sabbata custodiebantur. ne-
que dies sollempnes patrii serva-
bantur. nec simpliciter se quisquam
iudeum esse confitebatur. Ducebantur autem
cum amara necessitate in die nata-
lis regis ad sacrificia. Et cum liberi
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] ut [illegible] eos autem
qui nollent transire ad instituta
gentilium interficerent. Erat ergo
videre miseriam. Due enim mulie-
res delate sunt natos suos circum-
cidisse. quas infantibus ad ubera
suspensis cum publice per civitatem
circumduxissent per muros precipita-
verunt. Alii vero ad proximas coeuntes
speluncas et latenter sabbati diem ce-
lebrantes cum indicati essent philip-
po flammis incensi sunt. eo quod
verebantur propter religionem et obser-
vantiam manum sibimet auxilium
ferre. Obsecro autem eos qui hunc librum
lecturi sunt. ne abhorrescant propter